



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

85. Fer. 2. Christus Dominus Exemplum Orationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

rum, juxta se magis illucescentis! nimirum ut querelarum semen suffocetur, debent honorati laboriosiores esse non honoratis. Disquiram ex me, num pro appetitu honorum labores quæram.

*Conf. 1.* Quem diem ego in terris me habiturum sperem, si lethali tædio laborat Aurora. Certè si Discipuli, quia gloriosa Domini viderant, videre debuerunt & tristia: & ego gloriosa video, dum communico, dicente S. Ignatio Marc. ep. ad Ephes. *Festinate frequenter accedere ad Eucharistiam, & gloriam DEI: vel negare debeo me discipulum Domini, vel fruendo gloria DEI, oportet me poenas ejus contemplari, & experiri.* O Pulcherrime, cur te non amo? O afflictissime, cur tecum non patior? cur propter bonitatem tuam nõ aufero malitiam meam? cur ex reverentia Passionis tuæ non flecto rigidum cor meum? O beate JESU, cur te non lætifico? O afflictissime JESU, cur meliorem sortem quæro? *Solus testis est Majestatis, qui socius probatur doloris.* Aug. serm. 120. de Temp.

MEDITATIO LXXXV.

Feria 2. Dom. 2. Quadrages.

*Christus Dominus Exemplum Orationis.*

**A**spiciam Dominum orantem ad Deum, genibus flexis, prostratum super terram

¶ 38 FERIA 2. DOM. 2. QUADRAG.

in faciem suam, iterumque, & omnium longissime tertio orantem vocaliter. Petam agnoscere artificium orandi Deum.

*Conf. 1.* Quomodo Dominus, cum procecidisset paululum, positis genibus procidit, ubi bibentes e fonte aquas genua flectunt, sic dicitur petuntur gratia e caelo id agendum positis genibus: ergone Deus genua flectat, & non ego? Misericordia se inclinet, & non se inclinet miseria? flectat Charitas, & non flectat iniquitas? flectat Medicus, & non flectat infirmus? genua ponat Innocentia, & non se inclinet malitia? flectat Dominus, & servus non? flectat Deus, & non flectat homo? flectat Iudex, & non flectat reus? hujus rei gratia cum S. Paulo ad Ephes. 3. flecto genua mea. Utinam cum D. Bartholomaeo per diem centies, Apollonio Abbate ducenties, M. Antonio tota subinde die, nocteque, cum Iacobo Alphei usque ad obductionem callorum.

*Conf. 2.* Procidit super terram ille, cui flectitur omne genu coelestium, 24. Seniorum, terrestrium, trium Regum, Cornelij, Archisynagogi, Haemorrhoidis, Petri, &c. & inferiorum, Daemonum, juxta illud: *Inimici ejus terram lingent.* Pl. 71. Obstupescit hic D. Hieron. exclamando: *Sanctus Sanctorum proci-dens adorat.* Procidit super terram, quando de caelo venit incarnandus; procidit in terra

virgi-

virginem, quando est natus: procidit in terram maledictam, ut eam contactu suo benediceret. Erat terram relaturus in coelum, igitur complecti debuit. Habuerat inimicitias cum terra, pacem facturus dat ei osculum. Pater communis Matri communi terrae per mortem uniendus, eidemque datus sanguinem, corpus, animam, & divinitatem suam, omnia simul in terram procidendo misit. Procidit in faciem suam, videns quod caderet, non sicut illi, qui ceciderunt retrorsum.

*Conf. 3. Orans & dicens, Marcus ait: Orabat & dixit, Christus vocalis orator maximus toto corpore initio dicendi perhorrescens. Quinque causae sunt orandi vocaliter. 1. Ad excitandum devotionis affectum. 2. Ad supplendum, quando non succedit mentalis oratio. 3. Pro majori collectione, & attentione. 4. Ad honorandum Deum extoto. 5. Propter redundantiam affectus interni, quem cohibere non possumus. Si Christus, qui tantum ab externis objectis tentari potuit, terrente eum Damone, aut aliquid suadente, nihilominus in agonia factus orat prolixius: ego qui a perturbationibus meis tot clades accepi, ignaviaeque meae acceptas referre debeo, non orem? O Agonizans JESU, averte a me damnatam orationis intermissionem.*

*ML.*